Quelle: https://manuscripta.at/?ID=928
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

ut eum a terra reducere pusillum. Et sedens docebat de navicula turbas. Et cum cessaverunt loqui dixit ad Simonem. Duc in altum et laxate retia vestra in capturam. Et respondens Simon dixit illi. Praeceptor per totam noctem laborantes nihil cepimus in verbo autem tuo laxabo rete. Et cum hoc fecissent concluserunt piscium multitudinem copiosam. Rumpebatur autem rete eorum. Et annuerunt sociis qui erant in alia navi ut venirent et adiuvarent eos. Et venerunt et impleverunt ambas naviculas ita ut mergerentur. Qui cum videret Simon Petrus procidit ad genua Iesu dicens. Exi a me quia homo peccator sum domine. Stupor enim circumdederat eum et omnes qui cum illo erant in captura piscium quam ceperant. Similiter autem Iacobum et Iohannem filios Zebedei qui erant socii Simonis. Et ait ad Simonem Iesus. Noli timere ex hoc iam homines eris capiens. Et subductis ad terram navibus relictis omnibus secuti sunt eum. Off. Benedicam domino qui tribuit mihi intellectum. Videbam deum in aspectu meo semper quia a dextris est mihi ne commovear. Sec. Propitiare domine supplicationibus nostris et has oblationes famulorum famularumque tuarum benignus assume ut quod singuli obtulerunt ad honorem nominis tui cunctis proficiat ad salutem. Per. Com. Unam petii a domino hanc requiram ut inhabitem in domo domini omnibus diebus vitae meae. Ompl. Quos celesti done donis satiasti praestes ut a nostris mundemur occultis et ab hostium liberemur insidiis. Per. Fia. Ad Timotheum. Obsecro primum omnium Thymotheum